



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Compendivm Summæ Card. Toleti

Minucius, Genesisius

Sammieli, 1613

De Curato càp. 5.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41701

beat, non habet tamen dominium: ad cetera autem quæ non potest cum suo statu seruare, non tenetur, & in illis in quibus cum religiosus esset poterat superior cum illo dispensare, potest ipse secum. Non debet ex leui causa excommunicationem fulminare, vti Cōcil. Trid. Sess. 25. cap. 3. sed oues suas sēper ad cōcordiā hortari, & si publicus fuerit peccator, & ad regimen minimè idoneus, debet petita licentia Episcopatum relinquere, & bonis cedere, & si emitat votum simplex religionis tenetur Episcopatum deserere petita licentia à Papa.

De Curato. Cap. 5.

Curato multa sunt necessaria. Primo. Vt sit legitimus nam illegitimus sine Papæ dispensatione non potest benefi.

cium curatum, nec reditus eiusdem percipere. Potest tamen Episcopus cum illegitimis dispensare, ut obtineant beneficium non curatum. Debet annum saltem vigesimum quintum agere, & post beneficii collationem intra annum si beneficium illud curatum non sit collegiatum, fieri sacerdos: ac preterea habere animum clericandi alioquin tenetur ad fructuum restitutionem, debet esse idoneus tali ministerio. Ex Trid. Sess. 7. Cap. 3. nec potest retinere duo beneficia curata, sed alterum debet intra sex menses relinquere, alioquin utrumque ipso iure vacat, immo nec beneficio curato pingui, debet addi aliud simplex, nisi in causis ex quibus licet plura beneficia habere, potest tamen vnum alteri addi quando vnum non est sufficiens sustentationi, sed hoc etiam cum facultate Pape fieri debet & non aliter. Tenetur etiam intra duo

mens post collationem, & possessionem acceptam, professionem emittere in manibus sui Episcopi, vel eius Vicarii: in qua iuret publicè obseruantiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ: Concil. Trid. Sess. 24. Cap. 12. Residere tenetur, & celebrare quolibet dominico die, & aliis maioribus festis perse, vel per alium, & quidem pro parochianis & non pro aliis, imo vero & singulis diebus quando beneficium est pingue. Debet etiam saltem diebus dominicis prædicare, & doctrinam Christianam docere, vt idem Concil. monet. Tenetur insuper Sacramenta administrare, publicos peccatores in parochia querere, publica vita corrigere, vel Episcopo manifestare: infirmos visitare, & in necessitatibus occurrere: præcipuè cum morbo periclitantur, & illis sacramenta ministrare, & ad testamècum hortari nam contin-

git aliquem mori, & damnari, qui si sacramenta suscepisset saluus esset: sepulturam etiam sine Eleemosynis pauperibus erogare tenetur,

DE QUINTO Præcepto.

De peccato homicidii.
Cap. 6.

Homicidium est * iniusta hominis occisio: quæ potest quinque modis fieri: facto, præcepto, consilio, permissione, & auxilio. Occidere seipsum, vel membrum sibi abscindere ex deliberatione, est de genere suo mortale, quia est contra charitatem, qua quis se diligere tenetur: & contra iustitiam, quia homo non est vite suæ dominus, sed custos, unde, & si Samson, &

aliquz